

que in suo loco sive sacrificiis, aliqua ve legibus odiosa arte thesaurum quarere, ac fruitur invento: neque licet de ea re ad Principem referre. De Apollatis, dicit tit. 7. lib. 1. Cod. constitutio 1. quod qui ex Christiano Judæus factus est, ejus bona confiscentur. Constitutio 2. qui dicit, defunctum testari non potuisse, quod ex Christiano Paganus aut Judæus factus sit, intra quinquennium agit. Constitutio 3. Qui ex Orthodoxo hæreticus factus est, non conversatur cum hominibus, neque testimonium dicit, neque testamenti factionem habet, neque in hereditatibus succedit, neque ut in aliis criminibus, poenitentia remedium habet. Constit. 4. qui Christianus a fide defecerit, & sacrificaverit, aliive sacrificare mandaverit, non oppositurus longi temporis prescriptionem, a quocumque accusatur, & neque ex quo defecerit donat, neque venditionis specie legi fraudem facit: insuper non testatur, sed ab intestato cuncta ipsius cognatis competunt, quibus etiam post mortem permittitur accusare, tametsi apud profanum adhuc vivum nulla facta sit contestatio. Evertuntur ipsorum donationes & testamenta, atque iis, qui a lege vocantur, competunt. Const. v. quicumque servum, vel ingenuum Christianum, invitum, vel suasionem ad nefandum religionis ritum traduxerit, capite punitur, bonaque ejus confiscantur. Constitutio vi. qui clericus, aut monachus Orthodoxus, Eutychetis aut Apollinaris dogmata sectatus fuerit, tenetur legibus adversus Hæreticos latis: & prout de Manichæis sancitum est, extra Romanam Remp. profligatur. *Bals. Schol.* Const. 1. tit. 15. lib. x. Cod. est caput 13. tit. 7. lib. 56. Basil. quod sic ait: ut in suis, aut alienis locis Thesaurum quarere permittatur, nemo preces offerro, &c. Constitutio 1. tit. 7. lib. 1. Cod. est cap. 23. t. 54. l. 60. Basil. quod expresse habet, ut scriptum est. Constit. 2. ejusdem tit. & libri est cap. 24. ejusdem t. & lib. quod sic habet, ut in compendio propositum est. Constit. 3. est cap. 25. quod sic habet: qui sanctum Baptisma prodit, testimonium non dicit, neque testamentum facit, neque ulli in hereditate succedit: